



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Clarissimi Viri Henr. Zoesii Amersfortii, In Academia  
Lovaniensi I. V. D. Et Antecessoris Commentarius In Jus  
Canonicum Universum, Sive Ad Decretales Epistolas  
Gregorii IX. P. M.**

**Zoesius, Hendrik**

**Coloniae Agrippinae, 1691**

Titulus XLII. De alienatione judicij mutandi causa facta.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62329](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62329)

minoris, nisi re integra, hoc autem casu non integra res, Vult tamen Covar. *d. loco*, nihilominus restitutionem competere, ex regula generali, quod minori læso sit salva restitutio. Non obstat *d. §. Scavola*, quia agit in casu, quo agitur de lucro captando, scilicet acquirenda hereditate repudiata, non etiam de damno vitando, uti hac in questione, Gomez. *d. 9. 15. Vid. Molina de iust. & iure, Disp. 573. vers. utrum autem.*

6 Restitutionis petitio proponenda est coram adversarii ordinario; *l. 2. C. Vbi & apud quem restit. peti deb.* Sequitur enim actor forum rei. Sit tamen eorum major, contra eius sententiam imploratur, *d. l. Minor 12. D. de minorib.* quia minori in maiorem cum non sit iurisdicchio minus conveniens per illum huius sententias rescindi.

Clericus contra laicum acturus, eam petere debet coram laico, nam & ipse forum rei sequitur, nisi agatur causa Ecclesiastica, quæ tractanda coram suo iudice, ut dicitur infra *de foro compet.* Coram arbitro non rectè proponitur, *l. 1. C. Vbi & apud quem restit.* cum iurisdictionem non habeat. Non potest etiam coram delegato proponi, nisi specialiter demandetur, aut in commissio negotio incidat, *e. pen. h. r.* aut datus sit ad universitatem causarum, qualis habetur in ista ordinarii, aut datus à Pontifice, cui est jus pinguius, ut dictum supra, *Tit. 29.*

Rectè ut Censeatur petita: petenda est libello, *e. 5. h. r.* Citanda pars ne causa, quæ alios tangit, temerè iis inconsultis mutetur, *e. quod omnes de R. I. in 6.* Proponenda intra quadriennium, *l. fin. C. de temporib. in integ. rest.* Quod & Ecclesiæ currit, numerandum à die læsionis, *Clement. un. h. r. minori ab inchoato anno xxvi. d. l. fin.* Postea frustra petitur, nisi rationabile quid subsit, quod aliud suadeat, *e. 2. eod. in 6 ubi Glos.* Restitutioni ex causa metus, aut doli brevius tempus præscriptum, illi scilicet anni, huic biennii, ut patet ex *Tit. D. & Cod. de his qua vi & dolo.*

7 Non solet autem restitutio super aliqua re peti nisi semel: nam rejecta iterato cum effectu non petitur, *e. fin. h. r.* cum bis super eadem re nemo experiat, & videatur deesse justa causa, nisi tamen nova emerisit.

Effectus petitiæ contra sententiam restitutionis est, ut executio eius suspendatur, nisi subsit malicia in detrimentum alterius, *e. 6. h. r.* Probata causa læsionis facit causam redintegrari illi, qui se læsum probavit, non tamen ultra quàm læsus est, *Clem. un. h. r.*

## TITULUS XLII.

## De alienatione iudicij mutandi causa facta.

## SUMMARIUM.

1. Quid hoc casu obtineat iure D. & Cod.
2. Alienatio huiusmodi non nocet impetrationi rescripti.
3. Cessiones in Clericos fieri prohibentur.

**L**ætitur & pars alienatione rei iudicij mutandi causæ, aut in personam potentiorum, ut agere volenti durior sit eius persecutio. Cui rei occurritur iure Digest. concessa actione in factum quanti interest, iure Codicis in rem contra possessorem. \* Statuitur hoc tit. alienationem eiusmodi in fraudem rescripti impetrati non obesse, quominus cogatur possessor, in quem alienatio est facta, comparere ex vi ipsius rescripti, *e. 1. h. r.* ubi appellatio à diversa parte nullus dicitur esse momenti. \* Prohibentur etiam cessiones in Clericos, ne forti mutatione durior fiat adversarii conditio *e. 2. h. r.*

## TITULUS XLIII.

## De Arbitris.

## SUMMARIUM.

1. Arbitrorum duo genera.
2. In arbitrum qui compromittans.
3. In quos compromittatur.
4. Compromittatur in unum vel plures.
5. Arbitri inter se discordes non eligunt tertium.
6. Licet sint concordēs in eligendo tertium.
7. Super quibus rebus compromittatur, vel non.
8. Arbitrium suscipere est voluntatis susceptum implere est necessitatis.
9. Ex arbitrio an & qua actio competat.